



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Judicium Ecclesiasticum Seu Decretalium Gregorij IX.
Pont. Max. Liber II.**

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

§. II. De Proprietate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74990)

hoc casu necessitas probandi incumbet possessori arg. l. vis ejus 15. junct. Gloss. V. aufu- gisse. C. eod.

7. Qui tempore litis contestata in- venit esse in possessione, à JUDGE defendi, & conservari in ea debet l. ait Praetor 1. ff. uti possidetis, & l. si quas 1. C. de servitut. nisi vi, clam, aut precario possideat. Et hoc ita verum est, ut licet aequalis sit actoris, & rei probatio, possessoris tamen testes praeferan- tur, nisi actor foveat causam favorabilem v. g. causam liberalem; in ea enim si utriusque testes fuerint aequales, sententia ferenda est pro libertate.

21 8. Eadem possessio longissimo tem- pore 30. vel saltem 40. annorum continuata, si possidenti Jus non resistat, fundat praesump- tionem tituli l. omnes 4. C. de praescript. 30. vel 40. annor. & c. Episcopum 1. de praescript. in 6. Continuata autem tempore imme- moriali inducit praesumptionem ejusdem, quae sit Juris, & de Jure, habetque vim pri- vilegij ex certa scientia à Principe concessi, ita

ut melior illa titulus de mundo allegari non possit, ut ex c. Episcopum cit. fin. c. super qui- busdam 26. v. praeterea de V. S. multis DD. relatis notat Barbof. in c. super cit. num. 4.

9. Possessor immobilium liberatur ab onere satisfaciendi de JUDICIO SISTI, idque ideo, quia hic cessat suspicio fugae, ut notant DD. in l. sciendum 15. ff. qui satisfac. cogant. Possessorem verò hic accipe, qui suo Ju- re, & irrevocabiliter jure directi, utilisve do- minij possidet; non verò creditorem, aut usufructuarium l. sciendum cit. §. creditor 2. Tantum quoque possidere debet, quantum requiritur pro quantitate, & aestimatione rei petita. Gloss. in §. sed hodie 2. Insit. de satis- dat.

10. Princeps non censetur dare privilegium, aut beneficium cum praedictio alterius in possessione existentis, nisi id ex- primat c. dudum 31. de privileg. quia univ. sim Princeps non facile confert uni gratiam cum alterius praedictio. Plura alia commoda le- guntur passim apud DD.

§. II.

De Proprietate.

S U M M A R I U M.

- 22. Definitio Proprietatis.
- 23. Et Dominij.
- 24. Differentia à Possessione.
- 25. 26. Varietas.

- 27. usque ad 38. Modi acquirendi Domi- nium.
- 39. Hujus effectus.

22 **Q**Uæritur 1. quid sit proprietas, & quot modis accipiatur? 23. Proprietas nomen etiam ipsum di- versas significationes habet; nam 1. hoc nomine aliquando venit quodcumque Jus extra possessionem, su- per quo JUDICIO PETITORIO contenditur potest. Et in hoc sensu includit etiam Jus, quod ad rem vocatur, quale ad Prælaturam electus, ad Beneficium Ecclesiasticum præsentatus, ad rem sibi venditam, sed necdum traditam emptor habet; quia ad nos pertinere, & quodammodo proprium videtur, in quo so- lummodo Jus ad rem, sive quorum nomine actionem habemus, ut ex l. bonorum 9. in fin. ff. de V. S. notat Wisenbach. ad l. verbum 21. ff. eod. 2. Aliquando strictius signi- ficat solum Jus in re, sed qualecumque extra possessionem: conf. in hac significatione pro- prietas nomine etiam venit Ususfructus, U- sus, habitatio, & alia servitutes; nam etiam hujusmodi Jurium proprietas, & la- tius saltem acceptum dominium datur, & qui pro ipsis agit, ea sibi tanquam Proprietario adjudicari in JUDICIO PETITORIO postulat. Mar- rant. de Ordin. Judic. p. 4. dist. 7. n. 1. Vallenf. hic §. 1. n. 2. Wiest. n. 47. 3. Denique, & strictissime, ac frequentissime sumitur pro

Dominio: & aliquando quidem pro Ple- no, prout fit l. si procurator 13. princ. ff. de acquir. rer. domini. & alibi non infrequenter; aliquando autem pro solo dominio directo, & ab utili distincto, prout fit l. si extraneo 46. pr. ff. de usufr. & l. fin. ff. de superfic. Hinc ulterius

QUæritur 2. quid sit Dominium? 24. 25. Dominium late acceptum communissime defi- nitur, quod sit Facultas disponendi de aliqua re, tanquam sibi subiecta. Duplex est, unum Jurisdictionis, alterum Proprietatis. Jurisdictionis Dominium definitur, quod sit Jus gubernandi, judicandi, puniendi, protegendis sub- ditos, ab eisque emolumenta exigendi: de hoc præsentis Titulo nullus est sermo. Domi- nium proprietatis, quod huc pertinet, est Jus reale disponendi de re aliqua tanquam sua, nisi lege prohibeatur. Ita Less. l. 2. de Just. c. 3. n. 10. Laym. l. 3. tr. 1. c. 5. n. 2. Pal. tr. 31. D. un. p. 5. n. 3. Fermol. in c. 1. h. tit. q. 2. n. 9. König hic n. 72. Sannig c. 4. n. 2. Dixi 1. Jus reale: quo distinguitur à Jure perso- nali, quod non est dominium. 2. Di- sponendi de re aliqua tanquam sua: nam qui dominus rei est, potest illam destruere, ven- dere, alienare, & uti illa, prout placuerit, nisi lex prohibeat. Addunt aliqui de re

corporali: quia rerum incorporearum, ut sunt ipsa jura, officia, servitutes, actiones personales &c. communiter Jurista dicunt dari tantum *Quasi dominia*; sed alij has particulas sine detrimento omittunt, ut ita comprehendant etiam dominia, & proprietatem in ipsis Juribus. 3. *Nisi Lege prohibeatur*: licet enim dominium per se, ut diximus, det proprietario facultatem disponendi de re sua, aliquando tamen Leges dispositionem hanc prohibent, & actum 2. separant ab actu 1. dominij, sicut fit in ijs, qui pupilli sunt, vel minores: item in fideicommissis, Majoratibus, & alijs Dominijs vinculis.

24. Queritur 3. quomodo differat Proprietas à Possessione? *scilicet* tantum esse discrimen inter utramque, ut nihil commune dicatur habere Proprietas cum Possessione *l. naturaliter 12. §. nihil. 1. ff. de acquir. vel amit. possess.* Nam 1. saepe accidit, ut unus rem possideat, alter verò habeat illius proprietatem, seu dominium *l. exitus 35. ff. eod.* 2. Solo animo interdum acquiritur proprietas *l. cum heredes 23. ff. eod.* non autem amittitur *l. siquis vi 17. §. differentia 1. ff. eod.* Possessio autem solo animo acquiritur nunquam *l. possideri 3. princ. ff. eod.* è contrario solo animo amittitur *l. possideri cit. §. in amitenda 6.* 3. Possessio ex pluribus causis haberi potest; dominium non nisi ex una *l. possideri cit. §. ex plurimis 4.* 4. Dominium non acquiritur sine titulo *l. nunquam 31. ff. de acquir. rer. domin.* possessio titulum non desiderat, *l. clam possidere 6. §. qui ad mundinas 1. ff. de acquir. vel amit. possess.* 5. Ex judicio proprietatis res contrahit vitium litigiosum *l. cum creditor 1. junctâ Auth. litigiosa C. de litigios.* non item si lis moveatur de possessione; nam possessori non incumbit agere, nec possessione cedit, nisi alter probaverit se esse dominum, ut *suprà n. 20.* dictum est. Imò si possessio immemorialis sit, supplet omnes præsumptos defectus vitiositatis, & nullitatis, & est probatio probata tituli, nec de eo inquisitionem patitur, cum præsumptionem Juris, & de Jure fundet, ut *n. 21.* addidi.

25. Queritur 4. quotuplex sit Proprietas, & Dominium? *scilicet* esse varias illius divisiones. 1. Dividitur in Naturale, & Civile. *Naturale*, quod alij *Per anticipationem* vocant, est, quando quis, spectato Jure naturali, est dominus: & tale dicitur habere mulier in dote *l. in rebus 30. C. de Jur. dot.* *Civile* est, quando quis per Legem acquirit dominium, prout in eadem dote dicitur acquirere maritus; nam hic solus stante matrimonio exercet effectus dominij, dominio mulieris interim quiescente. *Inst. princ. quibus alienare licet, vel non, l. quamvis 75. ff. de Jur. dot. l. doce 9. C. de R. V.* 2. Dividitur in Dominium verum, & fictum. *Dominium verum* est, quod quis

verè & citra Juris fictionem habet. *Fictum* est, quando Jus aliquem fingit esse dominum, cum tamen non sit, quia vel Usucapionem ceptam nondum complevit, vel per Usucapionem ab alio jam completam jam desijt esse dominus. Ex hoc dominio nascitur Actio Publiciana, & Rescissoria *§. namque 4. §. §. seq. Inst. de action.*

3. Dividitur in Dominium Perfectum, & Imperfectum. *Dominium Perfectum*, quod etiam *Plenum* dicitur, est jus perfectè disponendi de re, ita sc. ut de ea re disponendi jus nemo alius habeat. *Imperfectum*, seu *non plenum* est jus disponendi de re restrictum, ita, ut etiam alius, vel alij jus disponendi de illa habeant. Et hoc aliud est

Directum, aliud *Indirectum*, seu utile, *Directum* habet is, penes quem sola, seu nuda manet proprietas: & tale habet dominus in re sua, quam alteri dedit in feudum, vel Emphyteusin. *Utile* habet is, qui habet jus utendi fruenti, separatim quidem à proprietate, at stabile, & universale cum jure vindicandi rem ipsam: & tale jus habet Vasallus, Emphyteuta, Superficiarius.

4. Dividitur in Dominium Revocabile, & Irrevocabile. *Revocabile* est, quod non est perpetuum, sed revocari potest, quale habet maritus in re dotali, haeres in re sub conditione legata, bonæ fidei possessor in fructibus extantibus &c. *Irrevocabile* est, quod ex intentione perpetuò durat, quale ferè habet quilibet dominus.

5. Dividitur in Universale, & Singulare. *Universale* competit cuivis hæredi circa universitatem Jurium, fundatque Petitionem hæreditatis *ff. §. C. de hæred. petit.* *Singulare* competit circa res singulas, fundatque duplicem actionem, videlicet Rei vindicationem, si pro objecto habeat rem corporalem *ff. §. C. de R. I. V.* & actionem Confessoriam, si pro objecto habeat rem incorporalem *ff. §. C. si usus fr. petat. §. si servit. vindicet.*

Queritur 5. quot modis acquiratur Dominium? *scilicet* modos acquirendi Dominium esse duplicis generis; nam alij introducti sunt Jure gentium, alij Jure Civili. *Juri Civili* originem suam debent Præscriptio, Donatio Mortis causâ, Legatum, Fideicommissum, & Successio tam Civilis, quam Prætoriana, tam ex Testamento, quam ab intestato: de quibus alibi. *De Jure gentium* modi acquirendi dominium sunt 19. Ex his

1. *Est Venatio*. Hæc, prout est genus ad Piscationem, Aucupium, & Venationem in specie, est occupatio feræ existentis in naturali sua libertate. Per hanc, quod capitur, fit occupantis: Proceditque hoc per se loquendo, etiam si alius illam jam vulnerarit, ut disertè habetur *§. illud questum 13. Inst. de rer. divis. & l. naturalem 5. §. illud 1. ff. de acquir. rer. domin.* ubi ratio additur; *quia multa accidere possunt, ut vul-*
ner-

nerans non capiat. Excipe, nisi ita vulnerata sit fera, ut illam percussor insequens certò sit capturus: tunc enim vulneranti acquiritur; quia fera tam acri vulnere, ceu instrumentò, censetur jam apprehensa, & in potestate vulnerantis esse. Idem dicendum videtur de ea, quæ in laqueum, rete, aut viscum à me positum incidit; nam si ita irretita est, ut eluctari, aut explicare se nequeat, sufficienter intelligor apprehendisse illam, adempta ei libertate naturali per meum instrumentum.

28 **2. Inventio.** Definitor, quòd sit occupatio rerum inanimatarum, quæ nullius sunt. Estque vel rerum, quæ nullius unquam fuerunt, ut sunt gemmæ, margaritæ, & alia, quæ in litore maris inveniuntur; vel rerum, quæ aliquando quidem fuerunt sub alicujus dominio, sed esse deserunt, ut sunt bona derelicta, & vacantia.

Derehcta censentur, quæ sive expressâ, sive tacitâ, aut rationabiliter præsumptâ domini voluntate ita sunt abdicata, ut tamen in nullum alium translatum sit dominium: *Vacantia* autem dicuntur, quæ relicta sunt à domino defuncto, non habente hæredem, vel ex testamento, vel ab intestato. Hæc omnia jure naturæ, & gentium sunt primò occupantis.

Jure naturæ, & gentium, inquam; nam Jure Civili Bona vacantia fisco cedunt *l. variæ 1. §. Divus Pius 2. ff. de Jur. fisci. l. vacantia 4. C. de bon. vacant. & si fuerunt peregrini, sive decedentis in Hospitali, per Episcopum loci, in quo decessit, in pauperes eroganda, vel alijs pijs causis applicanda sunt. Auth. omnes C. commun. de success. nisi Hospitali per privilegium competat jus succedendi. P. Wiest. hic n. 61.*

Quoad Thesaurus inventos distinguendum est inter diversa Jura; nam *Jure gentium* cedunt inventori: & ratio est, quia ex quo non extat memoria depositionis pecuniæ, thesaurum constituentis, incipit nullius esse. *Jure communi* per constitutionem Leonis Imp. *l. un. C. de thesaur.* interest, ubinam inventus sit; nam si in fundo proprio, & medijs licitis, totus est inventoris, etiamsi fundum primò emerit sciens in eo latere thesaurum; si verò magicis artibus inventus sit, totus fisco vindicatur. At si in fundo alieno, videndum, an inventus sit casu, an studio & datâ operâ, non datâ licentiâ à domino fundi; nam primo casu, dividitur inter inventorem, & dominum loci; secundo, totus ad dominum fundi spectat saltem post sententiam Judicis. *Jure particulari* denique in multis Provincijs & Regnis Reges, & Principes sibi thesauros sive integros, sive ex parte asserunt, ubicunque inventi fuerunt: unde particulares quorumcunque locorum consuetudines, & Leges in hoc puncto sunt attendendæ.

29 **3. Captivitas, seu Occupatio bellica.** Definitor, quòd sit modus acquirendi dominium rerum, & personarum in bello justo

captarum §. *item ea 17. Instit. de rer. divis.* Distingni autem hic debet inter res mobiles, & immobiles. *Res immobiles* bello occupatæ acquiruntur Reip. aut Principi, cujus auspicijs, & autoritate bellum geritur, ut sunt urbes, oppida, præsidia &c. *l. Divus 31. ff. de Jur. fisci. l. si captivus 20. ff. de captiv. & possim. revers.* *Res mobiles*, nisi pretiosiores sint, statim fiunt capientium §. *item ea cit. & l. naturalem 5. §. fin. ff. de acquir. rer. domin.* modò eas in conflictu vel in continenti occupent; nam quæ reperiuntur, postquam devicti jam, & expulsi sunt hostes sive mobilia bona, sint sive immobilia, cedunt juri & potestati victoris, bellum gerentis. *Excipiuntur* Ecclesiæ, Monasteria, & bona Ecclesiastica, quæ reddi debent ijs, à quibus ante invasionem hostilem, possidebantur, ut passim SS. Canones & maxime Trid. sess. 14. c. 10. de reform.

4. Alluvio. Hæc §. *præterea 20. Instit. de rer. divis.* dicitur esse *incrementum* latens, quando nempe quasi insensibiliter motu fluminis uni fundo aliquid accedit. Censetur autem incrementum hujusmodi sequi naturam fundi, cui accedit: & hinc si fundus sit usufructuarius, etiam incrementum usufructuarium erit; si tributarius, & incrementum credatur duraturum, etiam tributum pro rata augeri potest *l. item 9. §. huius 4. ff. de usufr.*

5. Accretio, sive Coalitio; Est modus acquirendi, quo notabilis pars prædij alieni, vi fluminis prælio nostro adjecta, eique affixa nobis acquiritur §. *quodsi vis 21. Instit. de rer. divis. l. adeo 7. §. quodsi 2. ff. de acquir. rer. domin.* Procceditque hoc non tantum de fundo, sed etiam de plantis & arboribus, quas fundus, qui coaluit nostro prædio, secum traxit; quia sunt accessorium terræ conf. cum ea acquiruntur nobis. Intellige autem *quoad dominium*; nam Jurisdictione, cum adhæreat fundo materialiter spectato, manet eadem, nec transfertur per accretionem.

6. Insula productio: de qua distinguendum est; nam Insula enata in mari, sit occupantis; enata in flumine, siquidem mediam partem fluminis tenet, ex æquo inter eos, qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia habent, pro modo latitudinis cujusque fundi dividi debet. Si verò alteri parti propinquior fuerit, quasi ductâ per medium fluminis lineâ res decidenda est; & siquidem extra imaginariam hanc lineam omnino fuerit, tota acquiritur propinquiori; si verò adhuc sit intra illam, pro rata, quâ cuique vicino ad ripam prædia possidenti proximè accedit, inter eosdem dividenda §. *insula 22. Instit. de rer. divis. l. inter eos 29. & l. si Epistolam 65. ff. de acquir. rer. dom.*

7. Alvei mutatio. Fit, quando flumen alveum deserit, & novum occupat: quo casu alveus de novo occupatus sit publicus,

aut illius, cuius erat flumen; prior autem alveus accrescit illis, qui prope ripam prædia possident, & hoc pro rata latitudinis cuiusque prædij ad ripam adliti § quodsi 23. *Instit. de rer. divis.*

31 8. *Specificatio.* Est formatio novæ moraliter speciei ex materia vel simpliciter aliena, vel partim propria, partim aliena §. *quum ex aliena 25. Instit. de rer. divis. l. adeo 7. §. cum quis 7. ff. de acquir. rer. dom.* In hac circa acquisitionem dominij est distinguendum; nam si species ex tali materia facta destrui, & ad pristinam, ac rudem materiam reduci possit, ut cum ex alieno armento fit scyphus, quod fabrefactum est, fit illius, cuius est materia, qui tamen, si bona fide introducta sit forma, tenebitur ad præstandam æstimationem formæ sibi utilis. At si species utiliter in materiam pristinam resolvi nequeat, sed formâ sublata, usum perderet, considerandum, an bona fide hoc factum sit, an verò mala. Si bona, species pertinet ad illum, qui formam induxit, ita tamen, ut obligetur ad compensandam alteri materiam; si mala fide, species tota absque præstatione æstimationis formæ à domino materiæ vindicari potest.

9. *Accessio.* Hæc etiam *Intextura*, *Adjunctio*, *Suffutura*, & *Sutura* vocatur. Fit, cum per nostram industriam, & laborem res aliena nostræ suam speciem retinenti accedit, ut si alienam purpuram intexas tuæ vesti, gemmam alienam inferas tuo annulo: quo casu purpura, & gemma tuæ sunt, manet tamen obligatio præstandi æstimationem purpuræ, & §. *si tamen 26. Inst. de rer. divis. & l. in rem actio 23. ff. de R. V.*

32 10. *Scriptura:* per hanc acquiritur dominium characterum ei, in cuius materia scribuntur §. *litteræ 33. Instit. de rer. divis.* Neque obest, etsi aureæ essent litteræ; adhuc enim chartæ, seu membranæ cederent. Quod intelligendum est de Jure communi; hodie enim, ut observant DD., per consuetudinem potius charta scripturæ, quàm scriptura chartæ cedit, maximè si opus aliquod egregium scriptum, aut aneis litteris impressum foret.

11. *Pictura:* per hanc acquiritur dominium tabulæ; qui enim in aliena tabula pingit, & tabulæ, & picturæ dominus fit §. *siquis 34. Inst. de rer. divis. l. qua ratione. 9. §. sed non 2. ff. de acquir. rer. dom.* Excipe, nisi tabula sit pretiosior picturâ *l. in rem 23. §. sed & id 2. ff. de R. V.* Quodsi pictura non tabulæ, sed rei immobili vel muro sit superinducta, pictura subjecto cedit; quia ejus veluti gratiâ adjecta est, ut ornatio fieret.

33 12. *Confusio.* Fit, quando duorum materiæ liquidæ, aut liquefactæ, sive ejusdem, sive diversi generis, ita miscentur, ut ab invicem arte humana, & viâ ordinariâ separari nequeant, ut si vinum miscetur vino &c.

Et tunc quidem, si hæc confusio fiat portione non admodum inæquali, sive casu, sive ex communi consensu, confusus liquor fit communis utrique domino §. *si duorum 27. Inst. de rer. divis. l. adeo 7. §. voluntas 8. ff. de acquir. de rer. dom.* Si verò ab uno sine consensu alterius, & cum intentione acquirendi dominium, videndum, an bona, vel mala fide confusio facta sit; nam si mala fide, tota massa cedit læso sine obligatione refundendi quidquam miscenti, ut *arg. l. 53. ff. de R. J.* concludit König *hic n. 102.* Si bona fide facta sit, & majorem partem de proprio liquore, pertinebit ad illum, à quo facta est confusio; si in quantitate valde modica, spectabit ad dominum liquoris exsuperantis; si in æquali portione, communio orietur, & communi dividendo experiri valent recessuri à communione *l. Marcellus, §. Pomponius 2. l. idem Pomponius 5. §. idem scribit 1. ff. de R. V.*

13. *Permixtio.* Fit, quando corpora, solida, & quæ etiam post mixturam à se invicem discreta manent, suamque singula speciem retinent, inter se miscentur, ut si frumento misceatur frumentum &c. §. *quodsi frumentum 28. Inst. de rer. divis.* Et quidem si permixtio facta est voluntate dominorum, acervus ille fit communis: si casu, aut voluntate unius ex dominis facta est, quilibet dominium suæ partis retinet; conf. datur cuilibet actio in rem pro modo seu quantitate frumenti, quod quisque in eo acervo habet §. *quodsi, & l. idem Pomponius cit.* Peculiarè quid statutum est de pecunijs; nam qui alienam pecuniam suæ ita miscet, ut indiscernibiles sint, sive bona, sive mala fide id fecerit, fit dominus totius summæ, cum obligatione tamen personali refundendi alteri pretium æquivalens *l. si alieni 78. ff. de solutione.*

14. *Ædificatio.* De hac Jura statuant omne id solo cedere, quod solo in ædificatur §. *cum in suo 29. Inst. de rer. divis.* Et hinc si quis ex aliena materia in solo proprio ædificium erexit, ipsi ædificium jure soli acquiritur, ita tamen, ut dominus materiæ pro hac satisfactionem petere, vel si satisfactum non sit, ædificio diruto illam sibi vindicare possit §. *cum in suo cit.* E diverso si quis ex sua materia in alieno solo ædificaverit, illius fit domus, cuius est solum; & quidem si sciverat solum esse alienum, in foro externo pro ædificio petere nihil potest; si verò ædificavit ignorans solum esse alienum, contra dominum soli, detrectantem solvere æstimationem materiæ, & alias expensas factas, habet exceptionem doli mali; quia cum detrimento possessoris bonæ fidei nemo debet locupletari §. *ex diverso 30. Inst. eod. l. adeo 7. ex diverso 12. ff. de acquir. rer. dom.*

15. *Plantatio.* Vi istius plantæ dominium cedit domino soli §. *si Titius 31. Inst. de rer.*

rer. divis. l. adeo cit. §. fin. Hinc si plantas plantam alienam in tuo solo, tua erit; si tuam in alieno, illius erit, cujus est solum; si tuam partim in tuo, partim in alieno, communis erit utrique domino: ad hunc tamen effectum requiritur, ut in utroque solo consistat; nam si arbor in unius fundo tantum sit posita, etsi in alterius fundum radices miserit, illius tota est, in cujus fundo illius origo, & plantatio est l. si plures 6. ff. arbor. furt. casar. Neque aliud colligitur ex §. si Titius, & l. adeo cit. dum ibidem dicitur, arborem Titij effici, si in ejus fundum radices egerit; nam ut Tholosan. l. 20. Syntagm. c. 9. explicat, id intelligendum est, si simul etiam ipse caudex dimidius stet in fundo Titij.

16. Satio: Hac Plantationem imitatur, & dominium feminis fati confert illi, cujus est solum §. qua ratione 32. Inst. de rer. divis. l. qua ratione 9. princ. ff. de acquir. rer. domin.

17. Foetura animalium. Per hanc nobis acquiritur id, quod ex an malibus dominio nostro subjectis nascitur §. item ea 19. Inst. de rer. divis. l. item qua 6. ff. de acquir. rer. domin. Proceditque hoc, licet animal nostrum ex alieno conceperit l. idem Pomponius 5. §. idem scribit 2. ff. de R. V. & ratio est, quia res fructificat domino suo, & sicut partus ancillae, ita etiam foetus animalis ventrem sequitur.

18. Perceptio fructuum: nam hi ex re aliena bona fide possessa possessori acquiritur §. si quis à non domino 35. Inst. de rer. divis. quod ita statutum est tum propter rei curam, vel culturam; tum propter bonam fidem, quae facit, ut possessor pene dominus reputetur l. bone 48. princ. ff. de acquir. rer. domin. saltem post per epumem juxta Reg. 136. ff. ubi Paulus, Bona fides, inquit, tantum-

dem possidenti praestat, quantum veritas, quotiens lex impedimento non est.

10. Traditio, vel potius rei traditae apprehensio. Hac ut dominium transferat, requiritur 1. ut subsit titulus, & justa causa, quae sit habilis ad transferendum dominium, e. g. donationis, emptionis &c. l. nunquam nuda 31. ff. de acquir. rer. domin. 2. Ut fiat à domino habente liberam administrationem rerum suarum l. traditio 20. ff. eod. Hinc traditio facta à pupillo non transfert dominium. 3. Ut intercedat utriusque tam accipientis, quam dantis voluntas, atque consensus in rem, quae traditur. l. in omnibus 55. ff. de O. & A. 4. Ut res tradita sit vacua ab alterius possessione. 5. Ut traditio facta sit sine conditione tacita, vel expressa; omnis enim conditio suspendit obligationem usque ad eventum.

Quæritur 6. qui sint effectus Proprietatis, seu Dominij? 1. Primus est, quod dominus re sua liberè uti, imò etiam abuti possit; nam rei suae quisque moderator, & arbiter est l. in re mandata 21. C. Mandati. 2. Quòd invito auferri nequeat, sed si gravis momenti sit, dominus rei defendere hanc etiam cum occasione injusti invaloris possit. 3. Quòd dominus in rebus suis praeratur creditoribus omnibus. 4. Quòd si in Possessorio utraque pars litigans pares probationes afferat, ea pars vincat, quae dominium, & proprietatem probat; nam possessio titulata magis justificatur per viam rationis e. licet causam 9. & ibi Abb. de Probat. 5. Quòd domino, si possessione rei suae amiserit, competat in rem actio, seu Judicium Petitorium, quo vindicare illam ab injusto possessore potest l. in rem 23. ff. de R. V. l. actionum 25. ff. de O. & A.

Quæritur 6. qui sint effectus Proprietatis, seu Dominij? 39

Quæritur 6. qui sint effectus Proprietatis, seu Dominij? 39

§. III.

Qua ratione tractanda sit causa Possessionis, & Proprietatis?

S U M M A R I U M.

- 40. Que sit Causa Possessionis, & Proprietatis?
- 41. 42. 43. Remedia agentis in Petitorio.
- 44. 45. Remedia possessoria adipiscende.
- 46. 47. Retinende.
- 48. Et recuperanda possessionis.
- 49. 50. 51. 52. 53. Coram quo Judice institui debeat Judicium possessorium de rebus spiritalibus?
- 54. 55. 56. 57. 58. Causa possessionis, & proprietatis apud eundem Judicem tractari debet.
- 59. Monitum de hoc Jctorum.

- 60. 61. 62. Possunt hæc duo Judicia cumulari.
- 63. 64. 65. Etiam quando instituitur Judicium retinende.
- 66. 67. 68. Modus procedendi, quando hæc duo Judicia cumulantur.
- 69. An casu, quo quis egit ab initio Judicio petitorio, possit, eo suspensio, intentare possessorium?
- 70. An casu, quo lata est sententia in Petitorio contra actorem, admitti is possit ad Possessorium?

40 **Q**uæritur 1. quæ dicatur Causa Possessionis, & Proprietatis? 1. Causa Possessionis vocatur, in qua principaliter agitur de pos-

effione, vel quasi possessione, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda. Causa Proprietatis verò, in qua principaliter agitur de rei controversæ proprietate, seu dominio, vel